

Vt autem ea quæ in hoc capite dicēda sunt, facilius atq; prom-  
ptius dijudicare ac probare possis, diligenter observa quæ iam di-  
cam de numeratione & compositione numerorum.

Unitas omnem numerum numerat, nullum autem nume-  
rum componit.

Binarius quemlibet numerum componit & numerat, cuius fi-  
gura prima ab ipso binario numeratur.

Ternarius quemlibet numerum componit & numerat, cuius  
singulæ figuræ, pro primis acceptæ, & ad se additæ, ab ipso ter-  
nario numerantur.

Quaternarius quemlibet numerum componit & numerat, cu-  
ius ipse partem numerat illam, quæ sub duabus figuris eius pri-  
mis continetur.

Quinarius quemlibet numerum cōponit & numerat, cuius  
prima figura fuerit 5 uel 0.

Senarius, quemlibet numerum parem componit & numerat,  
quem numerat ternarius.

Septenarius, quemlibet numerum componit & numerat, qui  
colligitur ex tribus, sex, nouem, aut duodecim terminis, propor-  
tionalitatis duplæ, quadruplæ, aut sedecuplæ.

Octonarius, quemlibet numerum componit & numerat, cu-  
ius ipse numerat partem illam, quæ sub tribus primis figuris eius  
continetur.

Nouenarius, quemlibet numerum componit & numerat, cu-  
ius singulæ figuræ pro primis acceptæ, & simul additæ, ab ipso  
nouenario numerantur.

Denarius, quemlibet numerum componit & numerat, cuius  
prima figura fuerit 0.

Ex his iam facile scies, quos numeros numeret 20. aut 30. aut  
40. aut 50 &c.

Item scies facile, quos numeros numeret 16. aut 32. aut 64.  
aut 128 &c.

Item scies quos numeros numeret 12. aut 24. aut 48 &c. Nā

12 nu